(54)

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

213

✝

R.de in xpo P.e

Pax xpi.

Legi quae R. V. misit addenda concordiae. omnia meditata solida clara. rogavi
P. V. Provincialem ut mox antuerpiae curet excudi, et ex viris aliquem probe intelligentem
efficiat dispositioni et emendationi: quod ille promisit se facturum. itaque spero brevi
edenda. si ~~...~~ Typographus vacans reperiatur. Legi etiam sparsim multa in primam
partem. qui commentarius talis mihi multisque alijs videtur, ut instar omnium in
posterum esse possit; ita subtilis, exquisitus, plenus, solidus; alienus a vanis distinctionibus
verborumque involucris. non probo eos qui suas fictiones nobis tamquam mysteria obtrudunt,
et contraria omnia mox erroris damnant, cum tamen certum sit eos nihil praeter verba concipere;
qualia sunt deum omnia praefinivisse in particulari, et tamen contingenter multa evenire; determinare
liberum arbitrium positive, et tamen nos libere velle: cui addo etiam determinationem
negativam nuper ~~...~~ inventam; ultimam dispositionem etiam ab habitibus supernaturalibus ad
quos disponit. Gratiam efficacem gratiae aliquem modum qui non in ea quae est inefficax.
Xtum poni in Eucharistia per quandam operationem quae solum per se primo terminetur ad [novum] ubi. Totum distingui
realiter ab omnibus partibus simul sumptis, deum certos quosdam ad gloriam destinasse absoluta
voluntate et tamen omnibus dare auxilium sufficiens, et multa alia his similia; quae a suis
defensoribus mira confidentia asseruntur, cum evidens sit in plerisque nihil nisi tenebras
conspici. Longe aliter se habent commentarij V. R. ubi omnia talia semper a Societate procedant. Sed
video brevi futurum ut dum multis sit potestas edendi, sua contrarietate, quae est partim in re
partim in modo loquendi, se mutuo conficiant, et apud exteros, qui non nisi conformia
a nobis expectant, authoritatem pariter amittant. Interim multa tibi debent omnes
Theologi, qui primus difficillimam illam et nobilissimam quaestionem de divino concursu
cum rebus creatis in operando, exactissime explicuisti, et explosis fatalibus illis
praefinitionibus et determinationibus, pulcherrimam rationem concilliandae divinae providentiae et praedestinationis
cum libero arbitrio ostendisti. omitto multa alia quae nemo te clarius ~~aut~~ uberius aut subtilius.
Optarim cognoscere sententiam vestram de quibusdam propositionibus, de quibus nihil in vestris commentarijs.

1a Viri beati praesertim ex vi visionis divinae essentiae et aliquali penetratione, sicut ~~vident~~ cognoscunt aliqua creaturas
futura tamquam possibilia, ita easdem creaturas intuitive videant existentes suis temporibus et locis sine novo
influxu. idque sive non de ipso deo quaeri potest. quod non, probari potest, quia non videtur fieri posse ut praesertim ex
vi visionis causae videantur effectus existentes, cum eorum existentia non habeat necessariam connexionem cum causa,
sicut eorum possibilitas. atqui ex vi causae nihil videtur posse videri nisi quod necessariam connexionem cum illa habet ut est in
causis creatis. Unde videtur, quod divina essentia ultronis debet concurrere cum illis beati per modum speciei illis repraesentantis
immediate ipsam creaturam ut hic et nunc existentem, quod non videtur ullo modo impossibile. cur enim
non habeat eam vim in repraesentando quam habet species ab obiecto accepta? Nec videtur sufficere si dicamus
has creaturas videri in determinatione divinae voluntatis. aut in ipsa dei visione, quia haec cognitio non est
intuitiva creaturarum, sed quasi argumentativa ...

2 Vis vero mali moralis in potes commissionis consistat in ordine quodam positivo, quem actus voluntatis habeat
ad obiectum l. pravitatem illi connectam; qui ordo in quibusdam potes, ut in odio dei et similibus in quibus
malum est directe volitum, sit reale quoddam, in alijs aut, quid morale. Videtur enim ita esse; Nam
negari non potest quin talis ordo sit in hisce actibus; qui non debet concipi per modum negationis, sed
habitudinis positivae. et n. est habitudo positiva in actibus illis et voluntatis ad id quod non est, videtur etiam ad
malum quod est in obiecto. atqui tota malitia actuum voluntatis videtur in hac habitudine consistere. Odium n.
dei ideo est malum, non quia caret rectitudine amoris, quae deberet inesse, sed quia tendit directe ad
non esse sive ad malum dei. sive n. habet ut sit gravissimum peccatorum. quae tendentia est quid reale indubie, in
hoc actu. similiter ideo voluntas furandi est mala, quia per illam volita est saltem interpretative praeceptae legis
iniusta. et ita in ea est tendentia quaedam ad violationem iuris proximi. nec videtur sufficere si dicas ideo
hanc voluntatem esse malam, quia in ea est privatio rectitudinis, quam hic deberet habere cum lege divina
quae rectitudo consistat in hoc quod est non furari. nam haec rectitudo seu conformitas, Non furari
est mera negatio; cuius privatio non fit nisi per quid positivum reale l. morale. videtur etiam ex hac

sola

sublata scriptura esse quod postremo. omitto multa alia quae de hac dici possent.

3 Utrum dona Spiritus Sancti distinguantur a virtutibus. Videtur quod non: 1° quia ex scripturis et patribus nulla apparet distinctio. omnes enim virtutes sunt dona Spiritus Sancti, et vocantur Spiritus in scripturis, ut Spiritus dilectionis, fidei, humilitatis etc. patres etiam haec dona manifeste docent esse virtutes. Hieronymus in illud locum Isaiae. Ambrosius l. 1 de Spiritu Sancto cap. ult° duobus locis, loquens de hisce 7 donis vocat ea virtutes. l. 3 de sacramentis c. 2 dicit 7 dona esse quasi 7 virtutes Spiritus, et omnes quidem virtutes, inquit, ad Spiritum pertinent sed istae quasi cardinales sunt quasi principales. et infra, istae sunt 7 virtutes, quas consignamus. Idem colligitur ex Greg° multis locis, ut lib. 1 mor. c. 28, 32. 33, 35, 36. l. 2 c. 36. 37 et alibi. Sed nulla ratio videtur hanc distinctionem satis probare: nam per virtutes satis reddimur mobiles a Spiritu Sancto, et idonei ad quodvis opus bonum quantumvis heroicum, praesertim accedente auxilio speciali concomitante. deinde explicari non potest quod donum sapientiae, intellectus, scientiae habeant simplices fideles praeter fidem et prudentiam supernaturalem, aut qui habitus alii infundantur cunctis fidelibus in hac vita. denique nemo videtur hactenus satis probabiliter explicuisse quomodo haec dona distinguantur a virtutibus, quas operationes et quem modum operandi habeant.

4 Utrum amor beatificus in substantia et specie sua sit perfectior amore viatorum. Ita videtur, tum quia nos deum confuse tantum et obscure cognoscimus, beati vero distincte et clare, et proinde est ac si esset aliqua distinctio formalis in obiecto, cum illi cognoscant deum ex toto, nos autem ex parte. unde quodammodo totus nos latet, confusis enim generalibusque conceptibus non penitus obtinetur ut est in se ipso perfectus: tum quia indignum videtur dicere deum hic tam perfecto amore vel etiam perfectiore amari quam in patria, et solum esse diversitatem in conditionibus quibusdam accidentariis. multi enim longe perfectius et sublimius amarent deum quam parvuli et alii beati habentes pauciora merita. tum quia ille amor plane implet et exhaurit totam vim et amplitudinem capacitatisque voluntatis, miro quodam modo adaequans se quodammodo infinitati sui obiecti. tum denique quia hoc videtur sentire divus Aug. de correptione et gratia cap. 10 dum inquit istam suam beatitudinem plenitudinem tanquam praemium ipsius gratiae acciperent, id est, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis dei, cadere ulterius omnino non possent etc. abundantia illa designat novam plenissimamque dilectionem.

5 Utrum detur confessio informis? multa sunt quae id probabiliter persuadent.

6 Utrum materiae, formae substantiales et accidentia corporum habeant suum proprium et intrinsecum modum quantitativum, sive extensionem, in quo possent a deo conservari reliquis omnibus realiter distinctis subtractis. ita videtur ob multas rationes quas affert Guil. Occam in quodlibetis: nec mens aliter concipere posse videtur.

7 Utrum praeter dictum modum quantitativum sit aliqua qualitas corporalis realiter ab his omnibus distincta, praedicamenti quantitatis. Sane non videtur magna necessitas. tamen si ponatur quaeritur

8 Utrum species et praesertim qualitates primae remanentes post consecrationem, subiective existant in sua quantitate. Non videtur; quia qualitates, primae sunt affectiones materiae in ea immediate existentes et de eius potentia eductae: unde earum inhaesio debet esse primo in ipsa materia; ac proinde in nullo alio. nec verum videtur has qualitates esse immediate in quantitate, quae enim sympathia inde quantitati cum qualitatibus primis? praesertim cum illorum antiquorum sententia, vi qualitatum primarum ex materia educi debeant formae substantiales; evidens itaque videtur immediate ipsam materiam affici: quod etsi quamvis fateri possimus per quantitatem materiam veluti expoliri et disponi ad primas qualitates naturaliter suscipiendas, non tamen ideo dicendum ipsas immediate in materia recipi; sicut patet in dispositionibus respectu formae substantialis. Unde sequi videtur subtracta materia deoque continuante suum influxum conservationis, accidentia illa remanere sine illa inhaesione in aliqua qualitate, conditione subiecti, per se negative existentia, et inter sese implicata et simul penetrative coexistentia. denique agens externum applicatur, videtur produci accidens sine subiecto penetrative speciebus prioribus coexistens. ad hoc enim non videtur opus vi maiore quam ad idem accidens in subiecto producendum, modo deus causa sede concursus solito ad agendum largiatur. non enim ut existat sine subiecto, requirit aliquid positivum, quo carebat in subiecto (hoc enim cum nihil esse possit nisi modus quidam accidentalis, non inhaerendi aut per se existendi) sed tantundem influxum dei continuatum, qui sufficientissime rem illam conservat, etiam subiecto detracto; nec addit ei novam aliquam rationem formalem, sed rem potenter continuat evanescente modo illo intrinseco inhaesionis. ut recte videtur docere Scotus in hac materia. Ex eiusdem influxus potentissima continuatione fieri videtur ut corpora sanctorum post resurrectionem sint impassibilia futura; Nisi suum deus semper subtrahat influxum, dum externum agens agit v.g. ignis in aquam, nunquam expelli poterit frigus aquae: neque inferri calor, quia non consistit simul cum ea frigore maiore.

9 Utrum corpus Christi in Eucharistia sit ita extensum in se ipso, ut sit non extensum in ordine ad locum seu spatium videtur enim id implicare quia impossibile est ut aliquid sit, quod non sit in aliqua parte spatii, ergo quod aliquid habet partes quarum alia est extra aliam, necesse est eas esse in diversis spatii partibus. Item quae sunt eodem ubi, seu quae sunt in eodem spatio, necesse est ea inter se quoque esse simul, et altera non esse extra alteram nec distare ab altera: et contra quaecumque inter se simul sunt, ea quoque necesse est in eodem spatio esse, nec mens ullo modo contrarium concipere potest. Dicendum itaque videtur Christi corpus in Eucharistia, non habere modum illum intrinsecum quantitativum, quo partes inter se extenduntur, et altera extra alteram ponitur, sed omnes esse inter se simul, sub quavis specierum particula; et consequenter non hoc modo existendi rerum corporalium, sed spiritualium quo fit ut totum simul sit in quovis spatii puncto, minimoque momento. qui modus necessario intrinsecus est Christi corpori, nec potest cum altero illo modo simul consistere, qualiter est in Eucharistia. Unde etsi Christi corpus in Eucharistia habeat omnes suas partes, et omne temperamentum, et omnes realitates, quas habet in caelo, non tamen omnes modos

reales

+

realis quos ibi, quia non est illud ibi, prout illud modo quantitativo. facile enim est deo totum Christum carne et sanguine, et omnes partes formata cum sua propria natura ac temperamento, absque extractione propria dilata contrahere in puncto, ac ita replicare ut sub quavis particula totus totaliter, et sub quovis innumerabiliter existat. hoc n. mens aliquo modo sine contradictione concipere potest. atque hic modus dignus tanto sacro est. 198

10 Utrum sacramenta ut instrumenta physica concurrant ad gratiae productionem. Vera pars negans. quia necesse est multa fateri quae deceant theologicam gravitatem, ut recte censet. 1° quod ultima syllaba vel eius terminus intrinsecus totum faciat, cum certum est enim antecedentia nihil physice operari. 2° quod aliquid agat in distans non agendo in medium. 3 quod illi syllabae qualitas aliqua imprimatur; alioquin si nihil imprimitur, quomodo agit? cum enim divinus qualitatis singularis non vere hic loco, nisi res quae eo concurrit, elevata aliquid ex se possit. at quid est sonus in gratiae vel in corpus Christi producendo sub speciebus. omitto motione, usu, elevationes et sitae, quae facile labefactantur. 4 quorsum tam stupendum miraculum, quo nullum fore maius, sine ulla necessitate aut utilitate (nemo enim illud percipit, ut admiretur et deum laudet) maxime cum deus non soleat suis operibus miracula admiscere, nisi quae alter fieri nequeunt. atqui facile potest nos sacris sanctificare, sine physica illorum cooperatione, sicut effuso sanguis Christi, eiusque sacrificio in cruce oblato quotidie nos sanctificat. causae n. morales in suo genere sunt verae ac propriae causae. addo nihil esse in scripturis vel patribus quod hoc cogat. neque dignitas sacrorum id requirit, potissimum cum ea in astrictione morali totius consistat, quae in non physica perfectione; et plerique hac operatione nihil reale volunt ipsis sacris accedere; nisi forte quaedam relationes per accessus resultantes in nam reyal.

11 Utrum liceat sic hoc modo consecrare panem, ut solum intendas consecrare id quod deus videt non casurum, quod autem videt casurum vel perituram intendas non consecrare. Vera pars licere, quia valde dubium utrum fiat consecratio, ac vere omnino non fieri; nam intentio non vere absoluta sed conditionata, ac pendens a conditione futuri, nempe a futuro lapsu vel non lapsu, quae deus videt. nec refert quod dei visio iam sit praesens; quia et ipsa ut terminatur ad hoc futura, quodammodo pendens est ab illis; itaque censetur ac ipsa tamquam quid futurum, sicut id unde ipsa pendet futurum est. non dubitari mereri posset utrum debeat hoc absolute, absolute te si deus videt te restituturum. deinde quia nihil determinati hic designatur, quis n. pars cadere potest, incertum enim quomodo frangenda, ac nonnullum a vento vel casu aliquo vel horribili interveniente non abripienda, effundenda etc. dicta enim hic non sufficienter determinat, ob causas allatas. adde mirum esse nemini doctorum aut sanctorum patrum hunc modum in mentem venisse; non enim opus fuisset tam duris in eos qui aliquid effuderint canonibus etc. Quidam ex hac provincia de ea consuluit Romanos, qui eam censuere periculosam. sed eorum audivi eam a R. V. probari. itaque desideramus scire an ita sit. nec dubitet R. V. de hac et aliis mentem suam liberae aperire; scio n. quid aio recondito tenere, et quid in publicum proferre debeat. In docendo n. sequenda nobis est libelli de opinionibus delectu censura. Non desunt alia quae libenter cum R. V. contulisse; sed nolui multitudine esse molestus, potissimum quod sciam vestras occupationes. Velim scire quid a R. V. in posterum debeamus expectare; quousque in Tractatione de Iustitia progressus sit; quando edenda; an nihil in 1a 2ae et de fide spe charitate vel a R. V. vel ab alio. Iam nonnullum annum hic publice d. thomae explico; versor modo in tractatione de Iustitia. Si commentarios vestros haberem, magno labore in multis essem exolutus. Hic inspersis addenda vestra concordia non misi ad p. Decherim, partim ne periret id longo et periculoso itinere, partim ne magis libre in angulis tereretur; ~~multorum~~ quaedam enim madefactis angulis vel lacerata vel obscurata, quae non ex sensu restitui. periculum erat, ne si a pluribus tractaretur, plura deleretur. itaque reddidi p. V. Prov. qui hic erat, ut mox ad Rectorem antverpiensem excudenda destinaretur. Commentarii vestri doctoribus quibusque hic mire placent. abhorret a sensus meus quae velox antiquo non videtur, qualis est illa Christus in carne venturus etsi adam non peccasset. Christum meruisse angelis gratiam etc. ~~[illegible]~~ electionem angelorum ad gloriam non esse ex praevisis meritis sibi videat enim sibi d. aug. omnino sentire, angelos nos esse absolute et efficaciter ad gloriam destinatos ante praevisionem meritorum. miror quosdam ex nostris ad duram illam sententiam de angelorum ac hominum electione absoluta adhaesisse; cum nulla scriptura, nullum plane antiquorum testimonium faveat ut quod serio excutiendi: plura quoque sunt in contrarium. quae nusquam ita solvet, ut serio indagatori veritatis satisfaciant. sed fruatur suo iudicio; pars post vestros commentarios apud ingeniosos praefluit. Ateris Vale R. Pr. nostri memor in sanctis sacrificiis. salutem precatur et longam valetudinem R. V. p. Rector noster frater Franciscus florentinus. Lovanii 13 martii 94.

R. V.

Servus in Christo

Leonardus Lessius.

214
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

Respuesta al P.e Leonardo Lessio acerca de algunas preguntas

R.do in xpo Patri P. Ludovico
de molina Soc.tis Jesu Sacerdoti

Madritum